

37

An Februm biliosarum, præsertim
epidemicarum causa in bile?

Q U A E S T I O

D I S S E R T A T I O N E I N A U G U R A L I

P R A E S I D E

G. M. G A T T E N H O F ,

P R O F . P . O .

I N A L M A E T A N T I Q U I S S I M A U N I V E R S I T A T E
H E I D E L B E R G E N S I

P R O

S U M M I S I N A R T E M E D I C A H O N O R I B U S
I N S T A N T I J U B I L A E O A C A D E M I C O C O N S E Q U E N D I S

P R O P O S I T A

A

F R A N C I S C O P E T R O S I E G E L ,
H U T T E N H E I M E N S I ,
M E D I C I N A E P R A C T I C O .

H E I D E L B E R G A E , D I E O C T O B R I S 1786.

E X O F F I C I N A J O A N N I S B A P T . W I E S E N , U n i v e r s i t a t i s T y p o g r a p h i .

An Epitium p[ro]ficiens
et clementissimum eum in p[ro]p[ri]etate

Non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes vindicant, partem amici; atque, ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alii prodesse possint.

CICERO DE OFFIC. LIB. I.

Fac igitur, ut experiamur te elegantiorum esse te in medendo, quam in dicendo: & cum diis benevolentibus opera tua fistas hunc nobis sanum atque validum quam citissime.

A. GELLII NOCT. ATT. LIB. XVIII.



An Februm biliosarum causa in bile?

I.

Febris biliosa.

Febrium genus quoddam tum e continuarum, tum intermittentium classe, a copiosa toties vel spontanea vel arte excitata faburræ excretione, biliosum vocant; quæ præcipuis dotibus, tum colore, tum insigni amaritudine, bili naturali, sed & ejus corruptelis, colore vitellino, porraceo sive viridi, æruginoso cum obscuro nigro mixto, similis esse solet.

II.

Bilioſæ corruptelæ cauſa.

Quæ quidem bilioſæ corruptelæ genera alis etiam morbis communia, diversarum causarum latentium ingenium sequuntur: Ita a mixto bili acido in intestinis copiosiori, colore viridem,

A

&

& æruginosum ab acido fortiori repetit HUXHAM (a), item HOFFMANN (b) respondentibus etiam Cl. Virorum experimentis.

Bilem Isatodem, sive ex nigro viridescentem ab acido deducit TRALLES (c); Sed & vitellinam, colori naturali bilis ad finem a majori alcalescentia (d). Sed viridem illum bilis colorem æque a putrido, Cl. Virorum observatis & experimentis circa hos colores institutis, probe illustrat SCHROEDERUS (e) & experimento WILLISH confirmat, quo bilis flava sua e cistide exempta, sub leni M. B. calore brevi virescere, & demum instar atramenti nigerima adparere visa est: sed putredinem quidem haud dubie factorem, major attenuatio, dissolutio simul juncta exhibet; qua eadem ratione vitellina bilis, si viscidior velut vitellum ovi, vel oleum tenax, utri sepe adparet, ejicitur, haud alcalescentiam auetam, sed coaguli incipientis indicia ferre videretur; uti spiritus nitri adfusus bili vervecinæ colorem mutavit in vitellinum cum levi effervescentia, bubula bilis spir. vitr. mixto in viridem massam, ab acetato in vitellinam mutata, visa sunt experimentis Cl. Virorum KALDSCHMIDII, BAGLIVII, BOHNII (f).

III.

(a) P. III. p. 67. 69.

(b) F. HOFFMANN Med. rat. syst. Tom. II. p. 104.

(c) Hist. chol. p. 211.

(d) L. c. p. 212.

(e) De alienata bilis qualitate.

(f) Circul. anat. p. 280.

III.

Turbæ nervosæ bilem alienantes.

Adeo contrariis omnino causis, sed & absconditis maxime illis corruptæ colores nascuntur toties, ut merito hanc colorum speculationem subtiliorem vocet SYDENHAM (g). Nervosarum quippe turbärum ingens ea in colorum genera effectus conspirat, uti ab insolito motu corporis, rotatione (h) vectione in navi, rheda, in sanissimis ea biliosæ corruptionis genera toties evomuntur; Capite graviter percusso, idem saepe obtinet; Solo adeo nervorum consensu, qui tam perpetuus est, ut omne capitum vulnus vomitus insequi soleat (i).

Eadem toties hysterici vel hypochondriaci paroxysmi, qui solis spasmodicis nervosi generis affectionibus alitur, facies est, & viridis vomitus causa. Infantibus sub difficiiliore dentitionis opere, vel & aliis convulsionum causis, vomitus alvusque viridis haud causa semper accusanda, ut potiorem effectus rationem habeat (k). Ea ratione in phrenitide vomitus æruginosus, notante SWIETENIO (l). A summa irati animi excandescencia, quæ potissimum

A 2

mam

(g) P. 488. 497. 498.

(h) A rapido cunaram motu, in quas a fodalibus vi projectus puer, vertiginem tenebriscolam, vomitus æruginosus adnotat v. SWIETEN. T. IV. p. 681.

(i) SCULTETUS jam adnotat, omnes fere capite vulneratos de oris amarore conqueri. ARMAM. Chir. p. 198. & HIPP. jam in Coac. t. 500 bilis vomitum perniciosum habet, si cum febre & corporis resolutione jungitur. t. 507.

(k) V. SWIETEN T. II. p. 429.

(l) L. c. p. 599.

mam in nervosum systema vim habet, viridem & porraceam billem vomitu ejectam, & in subito animi moerore flavescente atque virescere vulrum, frequenter se vidisse testatur LORRY (*m*) ; A doloribus eadem in nervos vi, toruinosis, in adflectibus dysentericis, cholericis, in cephalgia vehementiore (*n*), aliisque (*o*), similes effectus multiplici observatione constant. Pluribus hoc arg. prosecutus est Cl. FRANCK in Orat. Gött. de larvis morborum bilioſis.

IV.

Inde vomitus bilioſi varia prognosia in genere.

Atque iis quidem nervosae adfectionis rationibus potissimum fundatur diversa febrium prognosis, ut corruptæ bilis vomitus semper quid monstri denotare adnoter TORTI (*p*) ; ipseque ex momentis Hippocraticis pluribus illustrat PROSP. ALPINUS (*q*) ; Comitari plerunque peculiare symptoma nervosum, observat SCHROEDER (*r*), atque adeo febribus malignis, petchialibus, pesti ipsi, ac aliis mitioribus quidem exanthematicis febribus, cum quibusdam malignitatis indicis notatis, similes vomitus juntur,

(*m*) De melanch. & morb. melanach. p. 302.

(*n*) Adnotat Hipp. l. II. de morb. Ed. FOES. p. 466. infanæ indicium l. c. p. 468. it. Coac. 169. Symptoma vulneris & doloris accedentis habet Ep. L. V. p. 1166.

(*o*) A luxato cubitu, luxata maxilla meracæ bilis vomitiones adnotat Hipp. de articul.

(*p*) Ther. feb. p. 145.

(*q*) De præfig. vita & morte. p. 477.

(*r*) L. c. p. 17.

guntur; uti amaritatem oris, nauseam, lenes vomitus inter prima malignitatis phœnomena refert LUDWIGIUS (s).

V.

Corruptelæ biliosæ causa obscura.

Verum obscurissima adhucdum eorum colorum bilis, qui febrem biliosam comitantur, ratio est, neque semper a dictis causis reperenda, nisi aut evidenter mere nervosæ, affectionibus turbisque nervosis stipatae aut maligniores fuerint. Neque alcalescentia quidem major aut putrida indoles, quæ æstivis maxime caloribus bili reliquisque humoribus, evoluto magis & exaltato phlogisto, adeo semper cum dissolutione, inferatur, satisfacere videretur, dum exundans quodam naturæ molimine in intestina deponitur, si præsertim varios morborum eorum epidemicorum gradus, modos, variasque solutiones contemplemur conferamusque, quas in Epidemiis annis 1771. & 72. & hoc anno primo Vere nostra in urbe & vicinia grassatis communis exhibuit Experiencia; queis certe annis frigidæ pluviosæque æstates, que frugum frumentique fertilitati bonitatique plurimum obtuere, similiisque tempestas primi Veris hoc anno delicias depresso, tantis putredinis evectæ effectibus haud favere potuit, ut potius sereiore & calidiore cœlo plurimum imminui & febris ferox malignitas & ægrorum numerus videretur.

A 3

VI.

(s) Advers. P. I. p. 39.

IV.

Febris biliosæ epidemicæ gradus variis.

Varios imprimis eorum morborum gradus, modosque considerare oportet. Alii officiis suis adhuc vacantes non nisi de singulari artuum lassitudine, adperitum prostrato, pressionis epigastricæ sensu, siccitatibus in ore sensu, licet lingua humida existente, cum vaga phlogosi, intercurrentibus horroribus vexati, vomitibus spontaneis, diarrhoea, copiosam bilis faburram, velut excretionibus cholericis ejiciente, brevi & altero vix non die convallere. Aliis inter haec symptomata febris in pulsu manifestior, linguaque alba mucagine obducta, qui ab emetico juncta que leni catharsi, brevi facileque sanitati opificiisque suis restituti sunt. Alios vagi, saepe fixi artuum dolores rheumatici, alias simul tussis vehementior, plerumque cum sputis pituitosis copiosioribus aliisque catharrhi phenomenis corripuit, dicta medendi methodo, ejecta vomitu ingenti muci copia, cum bilis varia labe juncta, brevi alleviatos sanatosque, ut tota glandularum mucosarum series a ventriculo per totum œsophagi fauiciumque tractum ad apicem linguae usque disposita, copiosiore muci secretione scatere obducique videretur, nullumque nisi ab emesi, reperita saepe, tussis remedium esset. Alii inter leniora haec phænomena neglecta primitus medendi methodo, vel a majori pagorum distantia, vel paupertate, vel parsimonia menses plures, anni dimidium vel vix non integrum traxere; donec perennante demum tussi cum sputis, anorexia continua, motibus febriculosis, sensimque ingravescente corporis viriumque consumptione, febris hec ticae phthiseosque metu compulsi, opem medicam flagitarent, quibus &

& serius data evacuantia, emericaque aliquoties repetita subjuncto
 C. P. salutem attulere; Alios vero gravior hæc morbi vehementia
 inter pejora symptomata prostravit cum ingenti virium pro-
 lapsu, inquietudine, jaëlatione (*t*) somnis diu plane excussis (*u*)
 deliriis mox tacitis, mox ferocioribus interque symptomata pleu-
 ritica ac peripnevmonica, phrenitica aliquando, pessimo quidem
 plerumque omne (*v*) mox rheumatica, artus majori tormento
 excruciantia, ut diuturnas inter luæta speique ambiguæ horrores
 ad terrum usque sepnearium & ultra, morbi impetum fallacias-
 que traherent. Accesserunt sèpissime exanthemata purpuracea,
 vel iis latiora cum pusulis tamen minimis insidentibus, ab aliqui-
 bus pro perechialibus habita, quæ mox comparentia, mox iterum
 evanida, statum ægritudinis haud mutarunt, nec levaminis, nec
 noxæ majoris quidquam attulerunt; gravis plerisque auditus &
 plenaria vix non surditas (*w*). Funesta iis potissimum, licet e
 magno

(*t*) Mali plerumque ominis habet SWIETEN. II. p. 199. it. PROSP. ALPIN.
 de præl. vit. & mort. p. 71. 170. 173. nisi crisiæ antecedat p. 173,
 cum nausea, vomititione non timenda p. 174. maligna, dum
 interiora uruntur, exterioribus non admodum calidis p. 175. cum
 sudore frigido p. 176.

(*u*) Pervigilium febrium nervolarum symptoma habet SELLE neue Beiträg.
 p. 79. chronicum latentis vitii in hepate, etiam adnotat LENTIN de
 aq. loc. CLAUSTH. p. 26.

(*v*) Quæ & pleraque a vitio abdominali SARCON. Epid. Neap. p. 568. in
 deliriis malignarum vehementioribus in ventriculo abscessus, tunica
 villosa derafa separata, maculae gangrenosæ intest. nihil singulare in
 cerebro detectum. Transact. IV. p. 229.

(*w*) Prognosin a surditate bonam & diuturnitatis indicium habet ROEDE-
 RER I. c. p. 136. consentit LUDWIG. Adv. p. 38. Si absque sopore.
 In

magnō ægrotantium numero paucioribus accidit, qui primis initiis, neglecta per emetica catharticaque cum acidis & C. P. combinata medela (x) sudoribus sibi consulendum purarunt; cum protractus ultra octiduum morbus tum majores plerumque difficultates periculaque tum ipsam necem inter clandestinas viscerum inflammationes gangrenasque cum meteorismo, abdominis tumor, respiratione celeriore (y), singultu (z) intulit; maxime dum chronica jamjam infirma valetudine, vel a senio vel morbis causisque aliis antegressis vires dejectae morbo haud resistere satis possent. Quod Febris ingenium probe ac fusius in omnibus symptomatibus cautelisque descripsit Cl. BECKER Civitatis & Archistratiæ Heidelberg. Physicus (a), eamque nostram opellam largiorem supervacaneam reddidit.

VII.

In initio jam comitantem malam, altera vero periodo bonam adnotat SARCOME. l. c. P. II. p. 133. 134.

- (x) Exanthematicas febres vomitoria catharticaque exigere, licet nulla Iaburra indicia sint, adnotat STOLL. rat. med. P. II. p. 163.
- (y) Quæ quidem symptomata toties a flatulenta intestinorum distensione, putredine generata nascuntur. Tissor de feb. bil. p. Sed & inter funesta alia symptomata status gangrenosi viscerum effectus.
- (z) Singultus sape ab inflammato hepate SWIETEN T. II. p. 266. T. III. p. 84. 123. a vitio hepatis, lienis, intestinorum a morte nigrescentium. BONNETUS Sep. p. 39. 40. LIEUTAUD Synop. p. 198.
- (a) Versuch eines kurzen medic. Unterrichts in der im Jahr 1786 herrschenden Krankheit für die Landwundärzte,

VII.

Termini varii.

Verum & varios earum febrium terminos effectusque notandos nobis sumimus. Crisis vix unquam quædam perfectior visa, sed lentis plerumque passibus, continuata cum antisepcticis leni catharsi, qua immensa & incredibilis faburræ biliosæ copia, muco copioso mixta egeritur, aëre liberiore, quantum licuit, concessò, pulsus sensim magis naturalem accessit, vires ereditæ, immensa sitis mitigara, somni tranquilli, cum sudoribus lenibus, continuis, adperitus magis evectus, statum naturalem reduxere; quod in plerisque haud prius fere accidit, quam consumpta vix non omni pinguedine ac torofitate (b), corpus in sceleron fere redactum videretur; id quod & tardiores reconvalescentiæ moras & difficiliorem plenariæ sanitatis restitutionem efficit. Sed & varia alia memoranda phœnomena effectusque, qui vel ad complendas successivas illas lysæ concurrerent, vel a varia liquidorum morbi vi inducta degeneratione relicti essent. Ita devicta quidem febre, recreatisque magis viribus, anorexia atque artuum lassitudo superstes, plurimum recuperandæ integritati obsuit, donec turgescientis iterum materiæ indicia, licet exhaustæ illæ copiæ biliosa viderentur, repetendum emeticum poscerent, quo bilis demum æque copiosa, æque vitellina, æque porraccia sub finem morbi

(b) In morbi initio subita extenuatio, præsertim in facie pessima habetur, ex momentis HIPPOCRAT. P. ALPINUS. p. 279. 280. HAMBERGER Semiot. p. 156. BEZOLD progn. febr. p. 21. 22.

morbi ejiceretur. Aliis a superata febre varia artuum rheumata (c), saepe molestissimis doloribus stipata, vagaque relicta, quæ & reperito pariter emerico, vesicatoriis cessere. Aliquis supervenit scabies, aut pruritus saltem cutaneus, dies noctesque insomnes reddens. Ulcera elunium sphacelosâ ad ossa fere penetrantia vidi feliciter curata, quæ vere metastatica cum insigni tunc tandem febris reliquorumque symptomatum levamine, mentisque majore serenitate redditâ viderentur (d).

Eo in convalescentie statu, diuturnis adhuc tædiosisque luctis protracto, aphthæ demum in lingua totoque saepe oris ambitu cum ptyalismo per plures dies tam copioso aliquando, ut salivationem mercuriale repræsentaret (e) erupere, lingua præsertim nimis rubicunda, humida (f), præagiendæ, vere criticae (g), ultimam eradicandæ morbi materie limam attrulere, redeuntibus dein facile adperitus coctionisque viribus, fame imo austra naturæque in resarcienda humorum dispendia molimine saepe singulare.

Mentis

(c) Dolores artuum criticos memorat ALPINUS. I. c. p. 140.

(d) Abscessus in femore, dorso, circa anum, qui a solo decubitu repeti solent, vitiis nervosâ malignarnâ adscribit WERLHOF de feb. p. 30. ROEDERER de morb. mucoso p. 54.

(e) Quem & morbis contagiosis familiarem obseruat ROEDERER de morbo mucoso p. 71. Plures salutaris in morbis ptyalismi obseruationes collegit RICHTERUS de nat. morborum per morbos viðrice. p. 27. HUXHAM T. I. p. 175.

(f) Putredinis latentis indicium vel aphtharum imminentium habet FORDYCE. Faulsiëver p. 69. 70.

(g) Aphthis saepe crisiū metastaticam sibi. conf. LUDWIG instit. clin. §. 740. SWIETEN T. III. p. 202.

Mentis relictus stupor, ad insaniam fere accedens in aliquibus, cœdemata pedum consecuta, restitutis tandem viribus, ac solidarum partium instaurato robore sponte sub probis diætæ regulis dispulsa sensim evanuerunt. Urinæ ardor & quædam dysuria cum rariore quidem sedimento, alias critico, opis particulam in eliminendo simul acri attulit (h).

VIII.

Contagii ratio & origo.

Eo in febris genere memorabile imprimis contagium est, quod nostro sub aëre montano, sub perpetua ventilatione, a directione montium fluminisque Nicari saluberrimo alias, rarissimum, neque epidemiis illis annorum 71. & 72. observatum, hoc hiemis ineuntrisque Veris tempore manifestius adparuit; quo præteritis quidem hiemalibus mensibus sporadicum febris biliosæ nervosæque genus aliquibus in locis observaretur, nunc sub finem M. Martii & per Aprilem totas sensim familias prosterneret. Quod quidem fatum a gravissima illa anno 84. inundatione ad secundam contagionem ædium Nicaro propinquarum porrecta, reliqua cum fætore quodam lacustri humiditate, necdum hactenus penitus absumpta, repetendum nequaquam visum est, tum a sequentium annorum salubritate, minorique ægrorum, licet minus favente æstatis anno 85. tempestate, pluviis frigidis horrida, observatorum numero; tum quod morbus ubique locorum urbis & in ædibus alias saluberrimis observaretur.

B 2

Inda-

(b) Urinæ difficultates criticæ & faintares adnotat Hipp. L. Epid. I. p. FOES. 947.

Indagata accuratius ejus contagii origine id compertum, contragium illud inter puellas evidentius ortum duxisse, quæ scholas publicas Virginum Monialium Congreg. B. V. numero copiosæ, ducentæ & quadraginta circiter frequentarunt, quæ, animadversa primum a Magistris suis ægritudine, proprios in lares dimissæ, sed quotidie numero auctæ, ut spatio decem dieorum circiter 36 scholis emanere consiperentur; unde sensim in rotas earum familias, inque ipsas Magistras Moniales reliquaque diffusum malum, sedecim successive lecto pari symptomatum facie adfixit, ut occludi scholas ob Magistrarum defectum deberent, & aliquæ etiam diutius jam jam valetudinariæ, infirmiorisque constitutionis morti occumberent. Hinc inter Catholicos longe major ægrotantium numerus, nec Protestantium tamen exceptis familiis, quarum filiæ addiscendis operis fæmineis dicatae eas scholas adierunt, uti copiosa observatione mihi constat.

IX.

Contagium extus adlatum.

Neque vero locorum, ubi numerosa proles comprehensa, angustiæ adscribi vitium potuit, quæ in tria cubicula satis ampla divisa, aëri undequaque patent, licet ea febrium malignissimorum causa copiosa observatione conster; sed ea aëdis constitutione, nunquam hactenus, persistente per complura lustra pio hoc instituendæ juventutis instituto, accuratisque Religiosarum curis, morbosæ constitutionis exemplum perinde ac in aliis scholis, constat.

Aliunde adeo hoc translatum contagium omnino videtur, aut e pauperum familiis, quæ uno sëpe angustiore loco inter suppellecti-

pellestilis sordidetum hiemalium mensium inclemensia cum numerosa sepe familia inclusa, tristia ea morborum seminaria excludit; licet & nostra haec tenus experientia repugnet, cum & perpetuum hoc contagii genus, & febrium malignarum matricem alere debet, quod & rarissimum nobis, & minime observatum haec tenus; sed, quantum mihi multiplici eo in epidemiac genere observatione diariisque meis constat, puellae illae primum iis e scholis decubuerent, quarum quidem nullam mortuam novi, morbo dein in reliquam familiam successive transmigrante; aut quod maxime mihi probabile visum est, occasione ea illatum contagium fuit, qua Hospitali Catholicorum adnexa antiquissima fundatio (vocant die etende Herberg) pauperes quoscumque peregrinos advenas, cujuscunque religionis excipit, prandia cœnamve parat, ægros vero prosequendo itineri ineptos, vel qui in viis ægri reperiuntur, allatos sover, medicasque curas administrat; unde ab exteris illatum maxime contagium videtur, quo & plures eo in hospitali mortui, licet senes maxime & valetudinarii plerique; perinde ac exemplum novi ab una fæmina ægra in hospitio publico pernoctante, totum fere pagum haud procul hic dissitum, sensim eo febris genere correptum fuisse: Quæ & altera forte ratio copioris inter Catholicos hujus febris epidemicae viderunt.

Sed & probabilis maxime illorum opinio viderunt illati a copiis militum Cæsareorum, per strata montana (Bergstræß) ex Provinciis Brüsselaniis redeuntibus contagii, cum præsertim hypocraustis copiosiores inclusi ac arctius custoditi, formatis alvo in medio cloacis, ademptis singulorum caligis, ut pudore a desrendis nudato clune vexillis coercerentur, in stamine strato decumbere ac pernoctari cogerentur, causa utique malignissimarum

febrium genitricē, quam præsertim expertum est oppidum Hephenheimense, ut mortuo inter primos Medico Phyisco, sat claro longiorique vita digno, simul ac Chirurgo copiosa funera, desertæ familiæ domusque inveniantur.

X.

An propriis bilis vitiis debeatūr.

Verum an earum febrium causā ipsa in bile ponenda, quam tantis mirabilibusque copiis excernunt? Eo quanquam significatu, febriumque biliosarum inducto nomine ingentia generi humano commoda satis manifesta constent, ut excussis priorum temporum theoriis, atque, cum febres exanthematicas, malignas fere quascunque comitarentur, rejecta medendi methodo alexipharmacā, sudorifera, millenis funesta, nunc evacuatoria illa per emerica catharticaque suis sub cautelis introducta milenos servet restituatque; Attamen quin propriis bilis corruptæ vitiis debeatūr, multa sunt, quæ obliuctari videntur, imprimis tam enormis aliquando illius materiæ copia, que phœnomenis suis quidem, amaritie viroreque exhaustum ipsum plane cistidis felleæ fundum exhiberet; Sed quam immane requireretur ad eas copias colligendas cistidis volumen, toti vix non abdomini æquiparandum! Vitiis certe alcalescentium humorum, per massam humorum diffusis eliminandis hoc organo secretorio bilis, humoris nimirum analogi, uti communī fere œconomiae animalis lege fit, Natura uritur, & faburram illam, potius biliformem dicendam, canale intestinorum excludit; inde & toties in malignis vomitus, ac diarrhoeæ spontaneæ criseos partem explent, saepè totam morbi vim exsolvent, quæ naturæ molimina ars toties salutari eventu imita-

imitatur adsequiturque. Inde & eo in hepar vaseaque huic secretionis adparatu destinata, decubitu minus felici, ab infarctu jam aliquo antiquo latente in hypochondriacis hystericsque, aut quæcumque vel ab acrimonia vel copia ipsa, vel enervata vi vitali latente causa, clandestina hepatis inflammations inferuntur, quæ vel in gangrænam pernicioibus in pernicie fatis terminantur, vel scirrhosos infarctus relinquunt, toties morborum genere, præfertim hepatis epigastrici affectu, cum perpetuo pressionis sensu, ructuum molesta copia, adpetitus hebescente, successivo corporis marcore, febriculae demum continuæ lentæ indiciis, post aliquot demum annos lenta calamitate funesto; Quod variis quibusunque causis magna sape doctissimaque indagine & ab haemorrhoidum anomaliis, inquisitis deducisque adscribitur; quod solo hoc fonte toties & natum est, & forum hactenus, reliquamque symptomatum abdominalium a circulationis impedimentis nervorumque turbis seriem sustentat.

XI.

Miasma potius.

Sed hujus alcalescentiæ fontem haud quidem e viictu plebejo, cum præcipue plebem adfecerit morbus, lautioribus pepercit mensis, deduxeris; qui vegetabilis potissimum, & ex ipso solano tuberoso in acidam acrimoniam prior est; cui nec ipsius Coffeæ tenuiores potus, plebi adhuc familiares famulantur. Miasmatis singularis hic quædam vis videtur, quod debiliore corpore hauritur facilius (*i*), atque oleofsum fluidarum solidarumque partium princi-

(i) MONRO de morb. castr. p. 7. F. HOFFMANN med. Syst. II. p. 112. au
geri

principium exsolvit, phlogiston incitato intestino motu potius, quam illo progressivo sanguinis, quem pulsus exhibet, exaltat, crasis naturalem sanguinis reliquorumque liquidorum, & ipsam solidarum partium texturam roburque, nervorum vim vitalem animalemque relaxat, & incipiente quodam putredinis gradu dissolvit; unde sufficiens alcalescentiae causa, quam superstes Naturae virtus, organo biliario, cum bile, ejus veluti matrice, exterminare nititur; Inde tanta pinguedinis & torosi corporis consumptio, tanta virium spirituumque nervosorum e penu gelatinosi principii depauperato, jauctura merito concluditur: Inde sanguinis fere torius consumpti observata extant (k). Inde acrum fortassis latentium alia genera evolunt, vel exaltato phlogisto copiosiore in exanthemata cutanea progerminant, aut tuffes chronicas, aut rheumata, aut scabiem pruritumque cutaneum, aliosque ex mera stasi quadam effectus relinquunt, qui impuro tamen adhucdum primarum viarum fonte aluntur (l), neendum satis exhausto; inde sufficiente ejus faburræ excretione facta, & febriculosi motus cessant, & bilis naturalis crasis officiaque in digestionis atque adpetitus naturalis viribus concurrentia restituuntur, corpusque viribus atque redeunte torositate animatur.

Tem-

geri per V. S. SCHREIBER de peste p. 9. Per prophylactica nimia SARcone II. p. 75. 173. Venerem contagio favisse adnotat CHENOT de peste p. 231.

(k) BONNETUS Sep. III. p. 256. FISCHER de febr. mil. p. 34. SAGAR de morb. epid. p. 4.

(l) Exanthemata plerumque e primis viis. HIRSCHEL Nebenstunden p. 170. STOLL rat. med. I. p. 44. In pleuritide nata neglecto evacuantum usu adnotat ZIMMERMANN. Febres exanthematicas vomitoria, cathartica exigere, licet nulla evidentia faburræ indicia sint, obseruat STOLL I. c. II. p. 163.

Tempestas Anni 1785 a Mense Septembri
ad eum 1786.

S e p t e m b . 1 7 8 5 .

Barometrum summum 28. p. 1. lin. dieb. 28. 29.
imum 27. p. 3 $\frac{1}{2}$ l. die 25.

Thermometrum summum mane 16. merid. 28. die 13.
imum mane 7 dieb. ultimis. merid. 15. die 21.

Exceptis primis diebus calore æstivo notatis ad diem 12 usque, reliquus mensis nubilus, pluviosus fere totus & circa finem frigore asperior. Venti circa finem ex occidente vehementissimi. Nec segeti favit adhuc in agris relixt, nec vineis tardiore uavrum maturatione. Febres biliosa sporadicæ, plus minus malignæ, diarrhææ tormentosæ, vix non epidemicae observantur.

O c t o b r .

Mensis totus nubilus, pluviis, tempestate frigidore asper,
quæ & circa finem in pruinias frigusque glaciale abiit, dejecta
omni vinearum spe

Barometr. sumnum 28. p. 1. lin.
imum 27. 7. lin.

Thermometr. summum mane 11. merid. 14.
imum mane 2. merid. 5.

N o v e m b r .

Mensis nubilus, pluviosus. Aliqui dies 14—16 frigore glaciali notati, sementi hiemali favens. Mutationes subitæ Barometri sub finem notandæ, saepè ad 5—4 lineas.

C

Barom.

Barometr. summum 28. $1\frac{1}{2}$ lin. dieb. 10. 14to.
imum 27. die 30.

Thermometr. summum mane 9. primis diebus. merid. 12.
imum 8. $\frac{1}{2}$ mane. merid. 2. die 18vo.

D e c e m b r.

Barometr. summum 28. die 15.

imum 27. p. 2 & $\frac{1}{2}$ lin. circa finem mensis.

Thermometr. summum mane 5 $\frac{1}{2}$ merid. 6.

imum 0. 4. merid. 0. diebus ultimis.

Aura satis temperata, nullo singulari frigoris glacialis gradu,
exceptis diebus ultimis, Nicaro glacie fluctuante, norata, nubila,
pluvia nebulisque rariori nive aliquoties aspera.

Morborum ea haec tenus facies sporadica continuat. Pluribus
solo pressionis epigastricæ incommodo, cum amaritie oris, ficcitra-
tis sensu, rustibus, anorexia molesta, intercurrentibus horribili-
bus, vaga phlogosi, nec nisi rarius in insigniorem vehementiam
febris acutæ, l. inflammatoriae, l. nervosa evecta; durat ad-
fæctio per hebdomades, imo mensem, haud sufficientibus cathar-
eticis stomachicisque, nisi emetico, saepe etiam repetito, saburra
biliosa tollatur.

J a n u a r i u s 1786.

Barometr. summum 28. p. $2\frac{1}{2}$ lin. diebus 21. 29. 30. 31.
imum 27. p. 1. lin. cum subita mutatione ad 7 lin.
dieb. 7. 16.

Thermometr. summum manè 7. & $\frac{1}{2}$ merid. 8. & $\frac{1}{2}$ in fine mensis.
imum manè 0. $7\frac{1}{2}$ merid. 0. 5.

Mensis

Mensis initium gravi frigore glaciali notatum cum Nicaro plerisque locis glacie constricto, atque vento Orientali vehementissimo acerrimo, die 6to ingruente; successit aura temperatarum cum pluviiis, glaciem solventibus: Sereniores dies aliqui cum frigore glaciali leviore. Finem demum calor vernus temperavit.

Morborum eadem indoles biliosa cardialgica, colica, magis rheumatica, angina, in aliquibus biliosa; tussis infantes corripuit, vix non ad convulsivam accedens, iisdem remediis emeticis, catharticis, vesicatoriis auscultans.

F e b r u a r i u s.

Barometr. sumnum 28. p. 4. lin. die 14to. mutatio subita per aliquot dies a 7. l. ad 4. supra 28. altitudo raro nobis visa.

imum 27. p. 4. lin. die nono.

Thermometr. sumnum mane $6\frac{1}{2}$ merid. 10.

imum mane 0. 5. merid. 0. $3\frac{1}{2}$.

Initia temperata, cum pluviiis, nivibus, frigore levi glaciali, meridie saepe verna; circa finem, frigus acrius circa diem 23. 24. 25. cum glacie Nicari aucta, ventis vehementibus ex Occident. Septentr.

M a r t i u s.

Barometr. sumnum 27. p. $11\frac{1}{2}$ l. die 11mo.

imum 27. p. $1\frac{1}{2}$ l. die septimo, mutationes subitae

Barometri.

Thermometr. sumnum mane $7\frac{1}{2}$ merid. $12\frac{1}{2}$.

imum 0. 6. 8. merid. 0. $1\frac{1}{2}$ dieb. 7. 8. 9. 10. 11.

Temperies verna initia tenuit, nives c. pluv. successit frigus gla-

ciale acrius & acerrimum haetenus die 11mo. Tepor cum pluviis, nives liquantibus, reliquos notavit dies.

Morbi biliosi nunc frequentiores, rhevmatismi, catarri, tusses cum l. sine febre, qui non nisi emeticis catharticisque, sanguine saepe, si morbi gravitas venæ sectiones exigeret, crustoso adparente, cessere. Sed & febris saepe pleuritidis, aut hepatitidis specie, malignior nervosaque comparuit, debiliori corporis constitutioni lethalis.

A p r i l i s.

Barometr. sumnum 28. p. 1 $\frac{1}{2}$ l. dieb. 13. 15.

imum 23. p. 1. l. die 9no cum subita mutatione.

Thermometr. sumnum mane 13. a merid. 18. aliquibus dieb. imum mane 4. a meridie 8.

Mensis initia verno calore amœna, non nisi nebulis matutinis, saepe vespertinis notata. Successere pluviae copiosæ cum nubibus tonitrualibus, quæ & novum frigus adspirarunt, saepe glacie levius matutinum per aliquot dies cum ventis Orient. frigidis, aliquoties vehementibus, tellurem exsiccantibus. Plerique fere dies nubibus tonitrualibus, tonitruis longinquis, calore verno notatis.

Febris maligni nervosique generis, mox pleuritica mox rheumatica, mox phrenitica crebrior incubuit, puellis imprimis & apud Catholicos frequentior. Phrenitica imprimis funesta visa.

M a j u s.

Barometr. sumnum 28. p. 1. l. 14. 25. 29.

imum 27. p. 4. l. die 10.

Ther.

Thermometr. summum mane 10. 15. aliquibus diebus 17. 26.
merid. 21. 23.
imum mane 9. merid. 8.

Tempesta verna plerumque solito frigidior, pluviis, nubibus tonitrualibus, ventis septentrionalibus aspera. Dies ultimi a 23. calore æstivo placidi.

Idem morborum ingenium biliosum; malignitas vero & nervosa indoles rarer, minusque lethalis, si in primis initii ad mediam emeticam catharticamque confugerint.

Variole alibi, in oppido leymen, epidemicæ, benignæ, inter quas & nigrescentes gangrenosasque maculas lethales vidi.

J u n i u s.

Barometr. summum 28. p. $\frac{1}{2}$ l. primis diebus.
imum 27. p. 6. l. die romo.

Thermometr. summum mane 20. a merid. 24.
imum mane 12. merid. 15.

Calor æstivus, æstuansque cum summa telluris ariditate initia occupante, neque satis emendata succendentibus gravibus tonitruis cum imbris largis.

J u l i u s.

Barometr. summum 28. p. 1. l. per dies aliquot,
imum 27. p. 7. lin.

Thermometr. summum mane 16 — 19. a merid. 20 — 25. sub sole 27.
imum mane 10 a merid. 13.

Mensis vix non totus nubilus, crebris nubibus tonitrualibus, pluviis frigidis asper, aura temperatior denum succedit circa diem 23, calor etiam aestivus per aliquot dies ad finem usque.

Morborum eadem hucusque indoles biliosa, saepe nervosa malignitate infesta, aliquibus etiam, neglectis praesertim initisi, lethalis; ea quoque tempestate humida frigidaque crebre aliis diarrhaeæ largæ, aliquibus chronicæ, aliis torminofæ, sanguinolenta, dysentericæ acciderunt.

A u g u s t u s.

Barometr. summum 27. p. II. I. circa dies 7. 8. 9.
imum 6 $\frac{1}{2}$ lin.

Thermometr. summum mane 17. die 12. merid. 25. die II.
imum mane 11. 12. merid. 15.

Tempestas eadem continuat nubila, pluviosa, frigida, exceptis aliquor diebus, queis meridies amoenior, calorque aestivus illuxit, sed tonitruis, nubibus ex septentione, pluviis frigidis turbatus. Nebulae siccae Höhérauch, matutinæ vespertinæque per aliquot dies notaræ.

Uvae tardius & vix maturantes vinearum spem deprimere videntur.

S e p t e m b.

Barometr. summum 28. p. 2. I. diebus 19no.

imum 27. p. 4. I. die 14 cum vento vehementi.

Thermometr. summum mane 14. a merid. 21. die 8vo sub sole 28.
imum mane 8. a meridie 13.

Exce-

Exceptis diebus aliquibus, queis calida meridies illuxit, tempestas mensis frigus horroresque hiemales cum ventis validis septentrionalibus, aut occidentalibus spirat. Summa telluris ariditas, humiditate a pluvii aliquoties accidentibus brevi per ventos consumpta. Arborum fructus copiosi, Vinearum spes dubia.

Rariores demum morbi per 2. menses ultimos; rario saltem febris biliosæ malignitas; rario funera, plures molestiis adhuc epigastricis nulla tamen l. parva febriculosa phlogosi atque appetitu haud penitus prostrato vexantur: sub finem plures diarrhææ torminofæ, cum tenesmo, non nisi mucum exprimente, indole adeo dysenteriæ adfini corripere incipit, cui & ipecac. & rheum sufficit.



COROL-

COROLLARIA DIAETETICA.

- I. *Homo ex fabrica corporis dentiumque dispositione animal omnivorum est, & inter rapacia ferocissimum, a quibusdam reputatur. GESNER phytogr.*
- II. *Vicius mere vegetabilis nutritioni non nisi robustiori corpori convenit: ab eo in debilioribus passionem hysteriam SYDENHAM, adfectuum hydropicorum initia THEOPH. LOBB. vires imminutas in bajulis $\frac{1}{6}$ ponderis ex jejunio quadragesimali amissum ex act. A. R. Sc. RICHTERUS adnotant: degenerare in acidum, quod coctionem animalem destruit, observat PRINGLE. Fibras solvere & mollire, hinc ultra primas vias absque noxa hand eluctari adnotat MACBRIDE.*
- III. *Vicius ita vegetabilis ex pane atro duro, non fermentato LIVONIUM corpora robusta nutrit constantius, & firmiora reddit, observante BERGMANNO. Obstructiones tamen viscerum inducere adnotat in suo per Sueciam itinere LINNAEUS.*
- IV. *Hinc hypochondriacis & hysteris aliisque debilioris constitutions nocivus.*
- V. *Semina frumenti humida, molliaque adhuc, horreis invelta, nocentissima visa in Suecia (schwedisches Magazin) ex secale recenti in usus premature adhibito, morbum epidemicum convulsivum (Riles*

(Kriegeskrankheit) inductum potius, recte censet HENSEL im Dāniſchen Reſpons, quam ex ſecale cornuto dictio, quod exſati- bus pluviosis toties obſervatum, nullas noxias noſtra in patria induxiſſe viſum eſt, morbumque illum epidemicum nobis plāne in- cognitum adhucdām reddidit. A frumento immaturo dyſenteria in quibusdam regionib⁹ Suecia endemia obſervata. Vid. VOGEL bibl.

- VI. Farina triticea glutine copioso ſcatet exp. BECCARII it. KESSEL- MAVERI, quod indoli vix non animali ex partibus animalium ten- dinoſis, aponeuroticis, cutaneis aliisque glutinoſis adſine. Hinc fermentatione ſatis diſſolutum in pane inde parato, viſuī & nutri- tione in debilioribus optimum; Robuſtioribus nutritione nimia ple- thoram aliasque noxias inſerre poteſt, in quibus ſecalino poſponen- dūs; ahsque fermentatione e contra in pūticulis, infantibus deſti- natis, in polentis, varioque cupediarum genere noxæ complures ſunt in tumido infantum abdōmine, viſcerum infarctibus, atrophia, quas ipſe jam GALENUS, SWIETEN, aliique obſervarunt; hinc decocta panis aliis ptisanis reſte præſert GORTERUS.
- VII. Hordeum & ſcale per exp. nullam differentiam ratione principiis glutinoſi nutrientis exhibent; panem hinc prahent diſſicillorem ob farinam minus fermentabilem. (ZÜCKERT.)
- VIII. Farina ſecales plurimum continent acoris, ut a ventriculo ſensi- liore ferri non poſſit. (HALLER.) Inde & ab acido in largiore pa- nis vilioris & continuato uſu in infantibus rachitidem metuit ZIM- MERMANN.

IX. *Panis avenaceus, hordaceus difficillima coctionis, non nisi robustioribus convenit.*

X. *Panis e farina finissima haud optimus (JACQUIN) mixtorum furfurum tenuiorum utilitatem adnotat DES ESSART. SIEGWART. Priscis jam gentibus hinc notus, usurpatusque furfuraceus, athletis olim communis, in Westphalia adhuc relicitus, reliquoque a peregrinante Gallo nomine Bonpournikel, firmando conservandoque hominum robori aptissimus; febres acutas, malignas, aut alias a plethora, phlogosi, ex acri imminentes morbos arcit. Populum Romanum per trecentos annos furfure tantum e frumento usum fuisse, VERRIUS apud PLINIUM testatur.*

XI. *Vidus e solo pane cum aqua, dissolutionem sanguinis scorbuticam induisse visus. (PERCIVAL.)*

XII. *Panis e fagopyro eandem cum fecalino rationem habet (JACQUIN) ab usu tamen quotidiano Fagopyri & placentarum ex eo cum butyro frixarum scarlatinam endemicam, imo pandemiam in locis quibusdam Westphalicis describit FINCKE.*

XIII. *Panis situ contratio corruptus (schimmlicht) vi septica pollet: uti & farinæ corruptæ noxas ac febris malignæ causam observat PRINGLE, it. HEBENSTREIT. RICHTERUS. HOME. Gangramnam sicciam a pane ex seminibus corruptis adnotat Acad. Suec.*

XIV. *Frumenti carbunculati effectus in morbis abdominis & cutis adnotat TISSOT. Carbonem vero dicit granum majus intus materia nigra repletum, uti in Majis.*

XV. Pa-

XV. *Panis calidi adhuc, noxas resert LINNAEUS, quod salivam haud satis imbibat, emollientissimus, glutini magis saveat, dentibus ini- micus sit.*

XVI. *Solanum tuberosum (Kartofflen) principio farinaceo constat, quod in farinam teneriorem, ipsum in amyllum verti potest, sano ventriculo haud officit, neque a familiari ejus usu ullas noxas, nisi ab abuso, exhibet.*

XVII. *Naturalis adeo appetitus, qui vox Naturæ est, vicii vegetabili animalem miscet, qui e gelatina animali, viribus corporis specificis elaborata, succum nutritium faciliorem praebet, sed nimis faciliusque alcalefrens ab acido vegetabili mitescit, aut & ob majorem vim septicam juxta exp. PRINGLEI (LINNAEUS), qua ad majorem citioremque resolutionem consert.*

XVIII. *Hinc absque pane vicius carnium, pisciumque febris malignæ causa. (HOME) absque vino. (HUXHAM, PRINGLE.)*

XIX. *Sed & vicius nimis tenuis, jurulentus debiliori corpori nocivus, cui siccior magis convenit (LUDWIGIUS) viciusque nimis facilis nutritionem haud firmam praeflat (ZÜCKERT.)*

XX. *In carne a gelatina animali jam adsimilata alimenti plurimum, licet diutius præ oleribus in ventriculo morentur (HALLER.) Hinc plethoræ ejusque effectibus favet, atque qui cibo animali copiosiore utuntur, largiores venæ sectiones ferunt, uti Galli. (F. HOFFMANN.)*

XXI. *Sed animalia, rotento sanguine, occisa citius putrēscunt, hinc prohibita a Mose. Pro hospitalibus carnes magis sanguine exhauiendas exigit PERCIVAL.*

XXII. *Vixi animali solo homines brutaque ferociora reddi, mitescere vegetabili GAUBIUS adnotat. Laute nutritis febres maligniores & periculosiores, recte censet LUDWIG. Hinc & animalia carnivora minus longava.*

XXIII. *Sal ammoniacale in omni carne minus metuendum in recentiore, in putrescente, destruktō acido, volatile redditur (ZÜCKERT.)*

XXIV. *Gelatinæ animalis diversa in diversis proportio ratione aetatis, sexus, pabuli, proceritatis corporis est, ut copiosior in junioribus sit, in senioribus minus copiosa, & in glutinosum principium ventriculo sape insuperabile, degenerans. Hinc juniora animalia optimæ, sed lympham illam gelatinosam præbent facile dissipabilem, nec robusto, exercitatoque corpori convenientem, cui vetustiora prærioraque a copioso glutinosa gelatina magis præsunt.*

XXV. *Sed quævis recens mastiati animalis caro minus salubris, minusque coctione mollescit; sed diverso, quo aëri exponitur, tempore eget, quo spontanea quadam resolutione fibrarum carnearum, licet nutritionem haud præstent, cohæsio mollescat.*

XXVI. *Verum & gelatina haec pro diversitate pabuli variat, ut in mere herbivoris acido, neandum plane adsimilato, scateat, nec in febris juscotorum variis modis, acido præterea addito, conditis adeo timen-*

timenda; in carnivoris vero insectisque viventibus, uti in vario avium genere, magis alcalefecit, diathesinque humorum abusū putridam inducit.

XXVII. *Quod idem in carnibus obtinet salitis, & cum sale suo semiputrescat; unde scorbutum adnotant HUXHAM, HALLER, HOME, vel & pro vario præparationis modo, uti carnes butyro fricæ, asfatae, magis in putredinem tendunt. (ZIMMERMANN.) Aut à motu nimio, cuius idem ac febris effectus sunt, in venationibus; inde & carnes animalium, aviumque ferarum tum a motu majore, tum quod cum sanguine suo comedantur, magis alcalefcunt (CULLEN.)*

XXVIII. *Cibi moderati simplicis summa commoda; virtus, quo simplicior, eo magis naturalis; & ad longavitatem disponens; quo magis compositus & aromaticus, eo magis medicamentosus. Corpora debilitaria reddidisse ab eo tempore, quo comperta & adquisita India adnotat TISSOT.*

XXIX. *Alimentum ut probum sit, debet esse blandum; salis tamen additi debita portio ad faciliorem resolutionem conservet. Mollius tamen ac jurulentum copiosius nocivum potius, corporisque solidam fabricam debilitat, effeminat. Siccus cum motu corporis magis ad firmiorem nutritionem servit.*

XXX. *Verum & alimenta pro diverso temperamento diversa sunt, ut nullum absolute bonum, nec absolute malum dici possit; atque uti animalibus specifica quadam vis digestionis est, ut v. g. herbivora*

vora carnem indigestam, soluta vegetabilia in exp. exhibuere
(med. Commentarien T. V.) carnivora vegetabilia relinquunt;
ita & in homine diversa illa vis videtur, ut, quæ uni conser-
runt, alteri noceant, atque debiliores sepe cibos solidiores, di-
gestique difficiliores melius ferant aliis, qui robustiore corpore
gaudent.

XXXI. Macilenta carnes omnes, morbum quemcunque animalis signifi-
cant. (HEBENSTREIT anthrop.)

XXXII. Pecorum morbosorum caro in cute furunculos, carbunculos,
adf. scabiosos, lichenes, alios adf. cutaneos, febres petechiales
erysipelata, abscessus produxisse visa. (conf. Frankf. med. Wochens-
blatt anno 1785.)

XXXIII. Caro columbarum juniorum facilis digestionis, magis cæterum
a motu alcalescens. (CULLEN.)

XXXIV. Caro caprina densa, acris, & pravi succ. (ZÜCKERT) capra
morbosum animal a VV. habita. (RICHTER.)

XXXV. Verves sepe ulceribus pulmonum laborant. Quarum carnes
morbos epidemicos aliquando generent. (HEBENSTREIT.)

XXXVI. Caro vervesina glutini spontaneo faret, uti caro suilla; inde
caro porcorum domesticorum infalubrior, quam ferorum. (UNZER.
ZIMMERMANN.) Pinguedo maxime nociva, qua & diutissime in
ventriculo juxta exp. moratur, & acrimoniam rancidam inducit.

XXXVII. Carnes salita molliores, sed simul fumigatae tenaciores; per-
nae juniorum porcorum probe preparatae, nisi nimio sale seateant,
vires ventriculi animant, sepe carne bovilla meliores facilioresque.





An Febrium biliosarum, præfertim
epidemicarum causa in bile?

Q U A E S T I O
DISSERTATIONE INAUGURALI

P R A E S I D E

G. M. G A T T E N H O F ,
P R O F . P . O .

I N ALMA ET ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE
HEIDELBERGENSI

P R O

S U M M I S I N A R T E M E D I C A H O N O R I B U S
I N S T A N T I J U B I L A E O A C A D E M I C O C O N S E Q U E N D I S

P R O P O S I T A

A

F R A N C I S C O P E T R O SIEGEL,
H U T T E N H E I M E N S I ,
M E D I C I N A E P R A C T I C O .

H E I D E L B E R G A E , D I E O C T O B R I S 1786.

E X O F F I C I N A J O A N N I S B A P T . W I E S E N , Universitatis Typographi.